# Faceti morosi.

Um nihil vtilius humane credo saluti
Quam rerum nouisse modos et moribus vti
Quod minus exequitur morosi dogma cathonis
Supplebo pro posse meo monitu rationis
Assint ergo rudes sitientes pocula morum
Hinc fontem poterint haurire leporis odorum
Hic quoque cum fructu parit ortulus vndique flores
Ex quibus indocti poterint excerpere mores

Ic autor ponit prohemium sui libri. in quo ipse ostendit que fuerit causa mouens ipsum ad hoc opus peragendum dicens sic. Cum ego facetus non videam aliquid maioris commodi vel vtilitatis et maxime in iuuenibus quam scire et cognoscere modos rerum et vt rebus secundum debitos et ordinatos mores vtatur iuuenis quilibet. non monitus ab aliquo alio quam a ratione et charitate. conatus sum pro posse meo aggregare ea morum documenta que morosus Catho omiserat. Et non dico hec propter iam adultos et intelligentes. sed propter rudes qui nesciunt mores quos in pluribus locis debent habere. Nam tales poterunt ab hoc libro extrahere mores quibus indigent sicut illi qui sunt indigentes rosis et floribus intrant ortum ad hoc excerpendum quod volunt habere. Construe. O fili (Cum) ego facetus (nihil) pro non et aliquid. non (credo) aliquid esse. scilicet (vtilius saluti humane). i. hominis (quam nouisse). i. cognouisse (modos rerum et vti moribus) ego (supplebo pro meo posse) et solo (monitu rationis) illud (quod dogma cathonis morosi) exequitur (minus). i. de quo catho non loquitur (ergo rudes sitientes). i. volentes habere (pocula morum assint). i. intendant. quia ipsi rudes et ignorantes (poterint haurire). i. extrahere (hinc). i. ab hoc libello (fontem). i. originem (odorum leporis). i. eloquentie (quoque). i. certe (hic ortulus). i. iste libellus (parit). i. tradit (vndique). i. ab omni parte (flores cum fructu. ex quibus indocti). i. insipientes (poterint). i. valebunt (excerpere). i. extrahere (mores). i. modestiam.

Um nihil absque deo sit proficui vel honoris
Primum regna dei queres in omnibus horis
Et sic omne bonum tibi plenius adiicietur
Quisque deo seruit regnare deo perhibetur

Ic incipit tractatus qui diuiditur in tres partes secundum quod sunt tria capitula. In primo enim capitulo autor determinat de his que pertinet deo. In secundo de his que pertinent proximo. Et in tercio de his que pertinent sibiipsi. Primum incipit hic (Cum nihil absque deo



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-180/0003
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG